

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vita Jo. Reuchlini Phorcensis, Primi in Germania Hebraicarum Graecarumque, & aliarum bonarum literarum Instauratoris

Majus, Johann Heinrich

Francofurti & Spirae, 1687

VD17 VD17 39:121821K

Additiones

[urn:nbn:de:bsz:31-271802](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271802)

quis conju-
tuam glo-
riam attol-
gloria cum
& Spi-

ADDITIONES QUAEDAM.

Ad pag. 125.



Ad res præclare Pforzheimii gestas vel hoc imprimis pertinet, quod Serenissimus Princeps *Carolus* ibidem Ecclesiarum ex cultus divini piam emendationem suscepit, ad quam perficiendam Theologos ex longinquis etiam locis evocavit. Si quidem ex Thuringia D. *Maximilianum Mörlinum* Ecclesiæ Coburgensis Antistitem & Magistrum *Johannem Stösselinum* *Johannes Fridericus* Saxoniae Dux eò misit. Advenerat quoque Magister *Michaël Dillerus* Principi Electori Palatino *Otoni Henrico* à concionibus aulicis & D. *Jacobus Andrea*, cujus prudentia & ope potissimum perfectum est, ut lites, quæ inter cæteros de *Brenzio* oriebantur, componerentur. Idem etiam scripto comprehendit quæcunque ad emendationem doctrinæ pariter ac ceremoniarum, ut & ad gubernationem Ecclesiarum necessaria erant. Quæ prolixè descripsit *Andrea* Neopos *Johannes Valentinus* in libello, cui titulus est, *Æma Andreana reslorescens*, Argentorati edito Anno 1630. à pag. 54. usque ad 63.

Nn

Ad

Ad pag. 130.

Promisi equidem me seorsim Principum *Badensium* Pforzhemii sepulcorum Epitaphia subjungere velle, sed cum opusculum jam ultra quam *veram* excreverit, promisso stare nequeo. *Non* possum tamen quin *Ernesti* Principis Epitaphium brevissimum annectam, quod his conceptum *ver* bis legitur:

ANNO DOMINI M.D.LIII. VI. MENSIS FEBRUARII OBIIT ILLUSTRISSIMUS PRINCEPS ERNESTUS, MARCHIO IN BADEN ET HOCHBERG, LANDGRAVIUS IN SUSENBERG, DOMINUS IN ROETEIN ET BADENWEILER, ANNO ÆTATIS SÆCULI LXXI. CUJUS ANIMA REQUIESCAT IN PACE AMEN.

Addam etiam hoc *Ernesto Friderico* positum monumentum:

D. O. M. S.

ILLUSTRISSIMUS PRINCEPS AC DOMINUS ERNESTUS FRIDERICUS, MARCHIO BADENSIS ET HOCHBERGENSIS, LANDGRAVIUS SUSENBERGENSIS, DOMINUS IN ROETEIN ET BADENWEILER ET SINGULARI HEROICARUM VIRTUTUM LAUDE CORUSCANS, ET, QUOD ASSSENTATIONIS STUDIO DIGNISSIMUM, PRUDENTIA PRINCIPE DIGNA ITA EXCELLENS, UT SUPERIOREM SUO TEMPORE NULLUM, PAREM VIX HABERET

IN IPSO VIRILIS ÆTATIS FLORE, MISE-
RIIS VITÆ HUMANÆ EXUTUS, ET DIU-
TURNIS GRAVISSIMISQUE MORBIS LI-
BERATUS, PATRIAM COELESTEM RE-
PETIIT. NATUS A. M D. LX. XVII. OCTO-
BRIS. MORTUUS A. CHRISTI M. DCIV.
XIV. APRILIS.

Ad pag. 150.

Inter Præceptores Reuchlini numerandus etiam
est *Ludovicus Dringebergius* ex agro Paderbornensi
oriundus, qui ad excitandas mansuetiores literas,
magnis propositis præmiis Selestadium in Alsatiam
evocatus, *Joannem Reuchlinum*, *Beatum Rhenanum*,
Jacobum Wimphelingium, aliosque erudit, qui de-
inceps insigni scientiæ fama claruerunt. vid. Pane-
gyricus Illustr. Princ. *THEODORO* Episc. Eccl.
Paderbornensis à Collegio Academico Societatis Je-
su oblatus lib. I. Cap. 4. p. 10.

Ad pag. 70.

Quod sonum pronunciandi minus horridum
haberet, Noster ac imitari facile Gallos Italosque
posset, inde causam repeto, quoniam artis Musicæ
fuit peritissimus. Hac in sententia me confirmat *Phi-
lippi Melancthonis* autoritas, qui de *Rodolpho Agri-
cola* memorat, quod in Italia magna cum laude di-
sputaverit, authores enarraverit orationesque magna
cum approbatione eruditorum habuerit. Itaque
magna omnino laus fuit homini Germano, non so-
lum eruditione: & genere sermonis sed etiã venusta-
te actionis satisfacere Italiæ, morose ac fastidiose ju-
di-

dicanti. Quod paucis contigit ut idem *Melancthon* testatur quando sic de *Agricola* scribit: *Nec opinio ulli Germanorum prater hunc (addimus tamen Reuchlinum nostrum) Italos tribuisse tantum, ut publice doctentem cum admiratione audirent, ac pariter eruditionem, genus sermonis, & actionem probarent. Audi saepe rogatum esse Erasmus in Italia, ut specimen suae eruditionis ac facundiae publica praefatione praeberet: sed ut hac in re amicis morem gereret, adduci nunquam potuit, metuens ne ab Italis pronuntiatio hominis Germani derideretur. Ac saepe predicavit Rodolphi naturam, quem imitari Italicam venustatem sine ineptiis potuisse se crebat. Verum Musicae naturae ad pronuntiationem & aliam aptiores sunt ceteris.*

Ad pag. 185.

Extat egregium *Reuchlini* carmen de obitu serenissimi Ducis *Eberhardi* ad *Joannem Lupis de Homansgrün* quod hic subjicimus.

Hortaris facili committam nomina Musæ

Clara ducis nuper, qui fuit ante Comes,

Parce precor, nescis circum mea pectora frigida

Exigis à minimo Rhetore magna nimis.

Pressula saepe levi modulatur carmina plectro

Quæ nostra nimium garrula fauce volant,

Ast ego dum memini querulos ita stridere versus

Auribus indignum spongia sorbit opus.

Pectus habes nostrum, gelido quod sanguine frigida

Irretire potest, altera noxa lyram.

Cernere multa soles, tibi multa Lycæe videntur

Dignua

Digna sub antiqua posteritate legi.
 Vangionum celebri tu conspicis omnia circo
 Reges atque duces, signa, trophæa, choros.
 Splendentes procerum Musis comitantibus aulas
 Ipse canas quia nam grandia quæque vides.
 Me domus & recti laquearia facta vetusti
 Me reges umbrosi culminis atra tenet.
 Mussito, vel factis dirimo quandoque diebus
 Jurgia cerdonum; sic mea gesta capis.
 Quid nec visa notem chlamydati pagmata Regis
 Seu celata mihi, Suevica spectra Ducis.
 Hias illa meæ gentis, scribetur in undas
 Historiæ zephyrus nomina vana feret.
 Semper enim fugiunt Musas Nicer atque Bacenæ
 Et nequit in Suevis vatibus esse locus.

Ad pag. 188.

Mentio fit in initio paginæ variarum translationum *Reuchlini* è Græco sermone in Latinum, eas videtur nominatim exprimere *Henricus Pantaleon* in Prosopographia Heroum atque Illustrium Virorum totius Germaniæ parte III. p. 13. ubi sic de *Reuchlino* scribit: *Tantus linguarum cognitione evasit, ut non modo translata ab aliis conferre, verum etiam elegantiori sermone optimos autores Græcos Latinitate donare posset. Itaque quadam opuscula Xenophontis, Procli, Luciani, Homeri, Platonis, Epiphani & aliorum transtulit atque studiosis communicavit.* Primam & secundam Philippicas *Demosthenis* ex Græco in vernaculam linguam nostram ipsum convertisse constat ex *Joannis*
 N n 3 ex Lupis

ex *Lupis* de *Hermansgrün* literis ad *Reuchlinum* datis, quibus significat, Ducem *Württembergensem* eas sibi legendas tradidisse.

Ad pag. 193.

Reuchlinum & *Agricolam* sociatis laboribus *Epitomen Historiarum* pro *Philippo* Palatino concinnasse, disertis verbis legitur in collectan. Locor. commun. *Manlii* sub titulo:

Omnes sapientes gubernatores cognitionem historiarum amant.

Memini *Capnionem* narrare, se cum *Rudolpho Agricola*, *Episcopo Dalburgio*, & aliis praestantissimis viris, quorum aliquos bene novi, fuisse in aula Palatini: quia habuit illa aula viros praestantissimos & ingeniosos ut illum ipsum *Dalburgium* & alios. Et quia auctor Princeps eos saepe colloqui de historiis, & antiquis rebus gestis, petivit ab illis, ut sibi historiae *Epitomen* conscriberent, & redigerent in ordinem annos *Monarchiarum*: quia non habuerunt illa tempora, sicut nostra, tam concinnas & breves *Chronologias*. Tradidit etiam Princeps satis liberales sumptus ad collectionem illarum historiarum. Illi igitur contulerunt operas ac *Capnio* & *Agricola* ex monumentis veterum scriptorum conscripserunt librum quendam propemodum eo ordine, quo nos contexuimus *Carioli Chronicon*: & excerpterunt jucundiora, ac tradiderunt illum librum Principi: qui ita fuit delectatus eo, ut quondam in eo legeret. Existimo etiam illum librum adhuc extare in *Bibliotheca Palatinorum*.

Ad

Ad pag. 243.

Non semel tantum legatus missus est ad MAXIMILIANUM Oenipontem, sed ad alia quoque loca multoties, cujus rei testem habeo Erbardum de Winsberg Doctorem & militem in Epistola quadam ad Capnionem. * Utinam inquit, tu mei tam memor quam ego tui. Scripsisses profecto ad me de Musarum tuarum fonte, aut de pompis illis regis ac Caesareis Francofordiæ, Agrippinæ & Aquisgrani nuper in coronatione Romanorum Regis D. Maximiliani celebratis, te Oratore, & me quoque Mediorum minimo presentibus.

Dicta nonnulla Capnionis ex Joannis Manlii locorum communium collectaneis.

De Amoris.

Capnio dicebat: Quando senex vult amare, & ducere uxorem, accipiat longam furcam, & suspendat de ea scramenas plenas auro, ac porrigat per fenestram amice, videatque num velit aperire, & inspicere quid in eis contineatur.

De novitiorum studiosorum temeritate.

Capnio de studioso Juris dicebat: Primo anno scit,
N n 4 diju-

* lib. I. Epist. ad Reuchl.

dijudicare omnes controversias, secundo incipit dubitare, tertio videt se nihil scire, & tunc primum incipit discere.

De mutatione Imperiorum.


Quando duplicantur lateres, tunc venit Moyses. id est, cum onera sunt nimis gravia, tunc mutantur Imperia, & veniunt pœne.

De Luthero constat illum Reuchlinianum hoc dictum sæpe in ore habuisse: Qui pauper est nihil timet, nihil potest perdere. vid. Paraleipom: rerum memorabil. ad Urspergens. Chronicon p. 342.

Ad pag. 475.

Quod hic ex Actis diximus de propositionibus s. articulis ab Hochstrato ex Oculari Speculo pessima fide extractis & publice Romæ affixis confirmat ipse Reuchlinus in principio lib. III. de arte Cabalistica, ubi tanquam ex cauponis ore verba prolata adducit, quibus recensuerit hospitibus fuisse quasdam superiori die à Romana curia Trunkefordiam missas propositiones & conclusiones, contra inhibitionem apostolicam ab Astaroto quoquam (hoc nomine signat Hochstratum, fictas & coninnatas adversus Jo. Reuchlinum propter libros non comburendos jam plus quinquennio crudeles persecutiones innocenter ac simul animo forti & in fracto passum, professoribus sapientia ac templorum vestibulis Romæ affixas & mox in lutum, stercus & cœnum ibi projectas & conculcatas, justis ex causis: tum quia præter Sum-

Pontificis voluntatem & absque reverendisssimorum
 iudicum notitia, coram quibus ea lra post Astaroti
 appellationem haectenus rriennio in Curia penderet, tale
 facinus fuisset attentatum: tum quod universis inno-
 ceseret eam conscriptionem apertissimis scaterere men-
 daciis. Principio namque pollicere, Astarotum in
 praesentia Papa conclusiones eas fore disputandas, &
 Papam tamen negavisse ac certe prohibuisse, quoniam
 in multis astate proxima publicis Roma sessionibus ha-
 bitis ea causa plene fuisset disputata & discussa coram
 doctissimis luminibus Ecclesiae Catholicae Praelatis, Ar-
 chiepiscopis, Generalibus ordinum, & eorum Pro-
 curatoribus, Poenitentiariis, Doctoribus, magno nu-
 mero, Theologiae Jurisque peritissimis viris, qui Ca-
 pationem esse absolvendum decrevissent. Deinde, quod
 ignominiose appellaverit Oculare Speculum, scandala
 & erroneas continentias, quum tamen liber iste sit per
 Apostolicam sententiam definitive admissus. Tum etiam
 quod de eodem Libro ita scripserit, quod sit a quinque
 Universitatibus dudum igni addictus: quae certe sunt me-
 re nuge, clara & candida mendacia, quia nulla in o-
 mni terrarum orbe sit aut fuerit Universitas quae Ocula-
 re Speculum condemnaverit, sed tantum singularia qua-
 dam capitosa capita, vertiginoso cerebro heteroclitia, &
 supino errore decepta, conventiculariter & conspirative
 contra Juris & Justitiae formam in Oculare Speculum
 livore tabuerint, & sua ut ajunt, sentimenta conflaverint.
 Postremo eos ajunt qui luto & conno corollaria illa in-
 volverint & revolverint affirmare solitos, in eisdem conscri-
 ptionibus nihil contineri ab ad, quod non antea in
 defensione publica Johannes Reuchlini contra calumnia-
 tores suos Colonienfes justificatum, solutum & resolu-



rum fuisset, quod lectori cuique lucidius stellis claruerit.
Aitaratum itaque semper eandem cantilenam pro
sua lingua canere.

Ad pag. 526. & seqq.

De Apologia Græcorum.

De hoc libro *Oecolampadius & Wolfgangus Te-
britius Capito ad Reuchlinum* scripserunt. Ille que-
dem hunc in modum: Capito magno desiderio tenetur
disputationis imo epistole Græcorum ad Concilium
Basiliense *πρὸς τὸ ἐκδοτικὸν* & ego non minus, quan-
doquidem ejus liber perit: nihil poterit Capnion utro-
que gratius facere quam votis nostris adnuere, & vel de-
scriptum vel describendum mittere: Hic vero ipse que-
que epistolam ad Reuchlinum dedit, quam quia patet
est brevis integram subicere placet:

Nescio quid de purgatorio, contra Latinam Ecclē-
siam ad Concilium Basiliense retulisse Græcos *Oecolampadius*
noster narravit. Quod olim ipse à quopiam ex-
scripsit peregrino, id ei aut furto, aut incuria, aut oc-
casione frequentis migrationis interiit. Tu hoc tempe-
re, optime Capnion, nihil potes utrique gratius pre-
stare, quam illud apud te curare exscribendum, sive nobis
tantisper connivere, mox reddemus certissima fide, &
cum sanore, hoc est, una opera nos obligatissimos, in-
bi multo arctius devincies. Vale Basilea Prid.

Non. Septemb. Anno M. D. XVIII.

I N D E X.